



**Specimen juridicum inaugurale de quaestione an bonae fidei  
emtor cogatur, locatori reddere objecta ejus privilegii,  
tempore utili ab illo vindicata**


<https://hdl.handle.net/1874/320221>

11

SPECIMEN JURIDICUM INAUGURALE,

DE QUÆSTIONE

AN BONÆ FIDEI EMPTOR COGATUR, LOCATORI  
REDDERE OBJECTA EJUS PRIVILEGII, TEMPORE UTILI  
AB ILLO VINDICATA.



11

SPECIMEN JURIDICUM INAUGURALE,

DE QUÆSTIONE

AN BONÆ FIDEI EMTOR COGATUR, LOCATORI  
REDDERE OBJECTA EJUS PRIVILEGII, TEMPORE  
UTILI AB ILLO VINDICATA,

QUOD,

FAVENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

**CORNELII GUILIELMI OPZOOMER,**

Phil. Theor. Mag. Litt. Hum. et Jur. Utr. Doct. Phil. Prof.

NERO NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS JURIDICÆ DECRETO,

**PRO GRADU DOCTORATUS**

SUMMISQUE IN JURE ROMANO ET HODIERNO HONORIBUS ET PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTIT

**OTTO WILLEM JOAN BERG VAN MIDDELBURGH,**

AMSTELAEDAMENSIS.

A.D. Jovis XI Decembris, A. MDCCCLI, Hora I.


IN AUDITORIO MAJORI.

---


EX OFFICINA TYPOGRAPHICA

M. J. PORTIELJE.

MDCCCLI.



MATRI CARISSIMAE SACRUM.



---

---

## INTRODUCTIO.

---

Cum habitatione carere nemo possit, favorabilem fere legislatores facere solent causam eorum, qui aliis opportunitatem habitandi praebent. Hinc multae leges locatoribus privilegium indulgent.

Non mihi hoc proposui ut illud argumentum ex jure Romano, Germanico atque patrio fusius pleniusque exponerem, sed pro mei ingenii modulo paucis disputare conabor de iis, quae codice nostro illius argumenti ratione proponuntur.

Legislator noster scilicet locatori tribuit privilegium, in ea invecta et illata quae incidunt in notionem vocabuli, *stoffering*, cujus significatio in art. 573 *Cod. Civ.* accuratius exponitur. Verebatur autem legislator, ne locater nihilominus fallacia conductoris deceptus, privilegii beneficio excideret, quod praesertim tunc fie-



ret, cum illa invecta et illata, quae privilegio comprehenduntur, inscio locatore pignori data, vel aliam ob causam ex aedibus locatis dimissa essent.

Modus<sup>1</sup> quo legislator conatur praevenire consequentiam hujus fallaciae conductoris, adest in placito legis nostrae de quo hic sermo est; nimirum locatorem privilegium suam exercere posse quamquam ea invecta et illata e domu ablata essent, si modo tempore utili jus suum vindicet, mobilia ad quae illud pertinet apprehendens.

Art. 1188 C. C. nimirum statuitur: *De verhuurder kan de roerende goederen, waarop hem bij art. 1186 voorregt is toegestaan, in beslag nemen, indien dezelve buiten zijne toestemming vervoerd zijn; en hij behoudt daarop zijn voorregt, al waren dezelve ook aan eenen derde, door in pandgeving, of op eene andere wijze verbonden, mits hij die voorwerpen geregteijk hebbe opgeëischt binnen den tijd van veertig dagen na het vervoeren der roerende goederen tot eene landhoeve behoorende, en binnen den tijd van veertien dagen, indien het zaken betreft, welke tot stoffering van een huis hebben verstrekt.*

Fieri autem potest ut conductor mala fide vel praeter consensum locatoris, vel clam, illa invecta et illata alteri vendiderit eique tradiderit, qui denuo ter-

<sup>1</sup> Cf. VOORDUIN, Geschiedenis en Beginselen der Ned. Wetg. IV. 381.

tio in foro publico, vel tanquam vulgaris merx, vel alio modo vendidit, qui tertius in bona fide versatur. Etiam duplex emtio-venditio et traditio non requiritur, ut emtor etiam primarius bona fide versetur.

Cum enim bona fides praesumatur<sup>1</sup>, sufficit tertio se emisse in foro publico, vel conductoris mores fuisse in talibus negotiis mercaturam agere, ut emtor praeterea favorem art. 637 C. C. invocet, quo sancitur: *Hij, die de teruggave van eene gestolene of verlorene zaak vordert, is niet verplicht aan den houder den door dezen besteden koopprijs terug te geven, ten ware de houder de zaak op eene jaar- of andere markt, op eene openbare veiling, of van een' koopman gekocht heeft, die bekend staat in dergelijke voorwerpen gewoonlijk handel te drijven.*

Cum igitur locator privilegio suo apud emtorem usus, ab eo invecta et illata omnia vel partim revendicat, hic ei objicit vel beneficium art. 637 C. C., si nempe emtor potest perhibere vel probare ablationem bonorum a conductore furtum aut amissionem constituere, vel art. 2014 C. C., ex quo ratione rerum mobilium possessio valet pro titulo, ut sic omnem actionis locatoris erga se vi sua destituat.

Neque notio furti nimis leviter tractanda videtur, propter naturam hujus revindicationis et juris poenalis

---

<sup>1</sup> Cf., art. 2002 C. C.

quae arcte circumscribitur intra fines Cod. Poen. ei impositis. Furtum nimirum tantum adest, ex art. 379 Cod. Poen., cum quis:

- 1º. rem quae ad se non pertinet,
- 2º. tollendo aufert,
- 3º. dolo malo.

Quidquid ea de re sit, constat tunc concurrere privilegium locatoris et jura bonae fidei emtoris; cujus concursus effectus argumentum dissertationis, tamquam casuspositio quaestionis nobis exploranda se offert, in qua jam nunc patet, sermonem fore non tantum de natura privilegii locatoris in bona ablata, sed etiam de vi et efficacia legis placitorum *in mobilibus possessionem pro titulo esse et mobilia non sequelam habere.*

In fine hujus introductionis nobis nonnulla videntur animadvertenda, quae argumentum disputationis quidem non directe attinent, sed cum casuspositionis natura nimis cohaerent, ut silentio possint praetermitti.

Spectare nimirum debemus num emtio-venditio ad traditionem usque impleta sit. Si enim res sunt venditae sed nondum traditae, nulla quaestio est quin locator in eas possit privilegium exercere; tantum quando traditione consummatus est contractus, versamur, quoad hoc attinet, in hujus dissertationis casuspositione.

Praeterea de notione verborum *praeter consensum* in art. 1188 C. C., addenda quaedam videntur, ut

recte sciamus, quando argumentum disputandi adsit.

Quamquam lex tantum loquatur de ablatione praeter consensum locatoris, (*buiten toestemming van den verhuurder*,) inde deduci non potest malam fidem non adesse, cum ablata sunt *contra* ejus voluntatem. Mala enim fides in debitore adest, cum quid fit contra voluntatem creditoris, animo lucri faciendi et in ejus damnum. In hoc casu damnum locatoris adest, quod is privilegio lege ei concesso sic uti non potest; lucri faciendi animus adest, quod quis praesumi non potest, bona alteri per jus in re vel privilegium obligata, auferre, nisi inde lucrum speret, fere semper illicitum.

Judicavit tribunal quod est Hagae Comitum d. 10 Jan. 1840, silentium et temporalem concessionem locatoris in ablationem invectorum et illatorum non nocere hujus articuli privilegio <sup>1</sup>.

Idem etiam in bonorum decoctione (*faillissement*) locum habere judicavit tribunal Amstelodamense, d. 17 Junii 1842 <sup>2</sup>.

Etiam qui clam aufert invecta et illata, illud facit praeter consensum locatoris.

Non enim requiritur ut petenti conductori consensum in ablationem consentire negaverit locator; sed

---

<sup>1</sup> Cf., *Weekblad van het Regt*, N<sup>o</sup>. 108. *Nederlandsche Regtspraak*, VI. § 63.

<sup>2</sup> Cf., *Regtsgeleerd Bijblad*, IV. 650.

consensus etiam abest cum non est rogatus. Notio verborum, *buiten toestemming*, nulla alia esse potest quam ea *absentia consensus* locatoris; quod alioquin verba adhibenda fuissent, *niettegenstaande geweigerde toestemming*, vel similia, ut inde pateret requiri, ut consensus rogatus et negatus sit, si uti velit <sup>1</sup>, locator hoc speciali privilegio.

---

<sup>1</sup> Cf., judicium citatum Tribunal quod est Hagae Comitum d. 10 Jan. 1840. *Ned. Regtspr.*, VI. § 63.

---

## DIVISIO.

---

Sine recte constituta divisione quaestio haecce tractari non potest, propter permulta argumenta, quorum vis diversa bene est distinguenda atque invicem ponderanda.

Animadvertere liceat nobis, in legis interpretatione attendenda esse:

- 1<sup>o</sup>. Quid sibi voluerit legislator, nimirum sensum legis;
- 2<sup>o</sup>. Quomodo voluntatem explicuerit, nimirum verborum notionem;
- 3<sup>o</sup>. Quaeenam argumenta unum alterumve juris placitum in lucem vocaverint i. e. quaesit ratio legis;
- 4<sup>o</sup>. Quid denique suadeat legis analogia;
- 5<sup>o</sup>. Addi possit solutio diversarum responsionum quas haec legis placiti tractatio nobis offert.

Brevitatis causa, tria prima objecta non seorsim, sed simul observabimus in quaestione tractanda.

Divisio igitur quam hic sequimur ea est, ut inspiciamus :

- 1<sup>o</sup>. Quid historia, notio, et ratio verborum articuli 1188 C. C. de quaestione suadere videantur.
- 2<sup>o</sup>. Quomodo haec solutio cohaereat, et respondeat legis analogiae.
- 3<sup>o</sup>. Harum autem quaestionum solutione conabimur duas diversas sententias in concordiam redigere eamque proponere sententiam, quam speramus a veritate non nimis longe abuturam.

---

---

I.

HISTORIA, NOTIO, ET RATIO LEGIS, ART. 1188 C. C.

---

Historia duplici conspectu nobis se tractanda offert, nimirum ratione naturae privilegii locatoris, de quo hîc sermo est, et ratione historiae nostrae ipsius legis in hoc nostro legis placito.

In ultima parte Historiae, seorsim tractabimus notionem et rationem legis, e quibus verborum vis atque efficacia deduci debet. Quoad primam partem hujus historici examinis, tres nobis se offerunt spectandae variae conditiones.

Primis autem, in nostro iuris capite constituendo temporibus — juris nempe Romani — locator gaudebat actione Serviana et interdicto Salviano.

Pignoratitium jus quoddam eo tributum erat locatori contra conductorem, quamquam detentio bonorum non apud se necesse esset.

Ad hanc finem ei inserviebat interdictum Salvianum. Erga tertios utebatur actione Serviana.



Interdictum Salvianum nimirum datur locatori fundi contra conductorem ad consequendam invectorum possessionem, § 3 Inst. de interdictis IV, 15. Actio Serviana datur adversus quemcumque possessorem ad ea restituenda et excipienda.

Discrimen igitur inter ea id est, ut illa detur adversus quemcumque possessorem, hoc tantum adversus debitorem.<sup>1</sup>

Secunda aetas hujus privilegii fere dici posset ea, quando dominabatur Germanicum iuris principium, *mobilia non habere sequelam*, junctum cum actione Serviana. Hoc locatoris ius expressis terminis nondum erat abrogatum.

Hanc regulam magnam habere efficaciam, vix opus est ut dicam.

Ubi enim detentio erga omnes valet, eo vigore ne in possessione turbemur, ibi jura in re vel similia, quae exerceri possunt erga alios quam contrahentes, expressam requirunt sanctionem, si ex iis jus quoddam petere volumus.

Cum igitur iis temporibus hoc privilegium extra conductoris possessionem nullam fere vim efficere posset, natura actionis Servianae fere mutata dici posset in eam interdicti Salviani.

---

<sup>1</sup> Cf. l. I, Dig. de Salv Interd. XLIII, 32, l. 1, Codde prec. et salv. interd. VIII, 9. HEINECCIUS, Recitationes, § 1292 ad 1298.

Nonnullis exceptis specialibus legis placitis, privilegium tantum vim habet, circa invecta et illata quae ex aedibus ablata sunt cum stante pede (*op staende voet*) vindicantur.<sup>1</sup>

Nova conditio — dixerim fere litigiosa — legislatione hodierna et superioris ferme saeculi originem cepit.

Jam POTHIER varias sententias virorum doct. LALANDE et DUMOULIN nobis transtulit, imo sustinuit jus quoddam hypothecarium — tacitum fortasse, jure Francico non ignoto — tribuere privilegium locatoris contra ceteros, qui tunc erant detentorum instar.

Hoc systemate ortum est, ut — cum nemo plus juris in alterum possit transferre quam ipse habet — conductor in tertium non potuerit invecta et illata, sine locatoris juribus in iis acquisitis, transferre. Jam hoc loco liceat animadvertere, hanc opinionem defendi non posse, nisi duo argumenta concedantur, nimirum: Jura in re in bona mobilia etiam erga tertios vim habere, et privilegium locatoris constituere jus in re.

Non omittenda tamen videtur observatio, hoc non requiri, si lex certa est, i. e. de his omnibus quaes-

---

<sup>1</sup> Cf. *Keur van Leyden*, A<sup>o</sup> 1667, art. 135; *Themis*, 1849, p. 29. v; DE GROOT, *Inleiding*. II. 48. 17; GROENEWEGEN, *Leges Abrog.* 185; VAN LEEUWEN, *Rom. Holl. Regt.* VI. 3; VOET, *ad Dig. quibus modis pign. vel hypoth. salv.* N. 3; V. D. KEESSEL, *Theses Selectae*, p. 137.

tionem non adesse, cum lex scripta expressis terminis hoc privilegium ita concedit.

Quamquam haec omnia ita sese habeant, hoc constat, jure Francico quaestionem aeque ac apud nos moveri, imo cum majori ardore, quia Codex Francicus nihil continet de juribus creditoris pignoratitii vel aliorum, quibus invecta et illata obnoxia sunt; quae argumenta apud nos constant.

Accedit in Francia, hypothecarium jus constare posse tacite sine inscriptione et indefinite, quae res, cum apud nos non exstet, in Francico jure difficultati majori in quaestione solvenda originem tribuit.<sup>1</sup>

Etiam sub hac conditione bene est attendendum discrimen inter regulam *mobilia non habere sequelam* et *hanc possessionem mobilium esse pro titulo*.

Quamquam nondum hujus loci sit accurate indagare, quid sibi haec locutiones velint, tamen jam hic videtur animadvertendum: regulam *mobilia non habere sequelam*, omnem tertiorum jus arcere in favorem possidentis, titulo ad dominium transferendum idoneo; regulam tamen, titulum mobilium per possessionem constitui, non impedire, quominus etiam tertius sua ipsius jura — dominii quasi membra — in ea exerceat.

Haec pauca brevitate causa sufficiant de universa historia hujus privilegii.

---

<sup>1</sup> Cf. Paris 2 Oct. 1806. *Sirey* VII, 2. 30.

Ortum est ex actione Serviana, fere perditum est per regulam *mobilia non habere sequelam*.

Ut bene sciamus quid in eo placito obtineat, historia, notio, et ratio legis, quoad hoc placitum, specialiter inquiremus.

Valde differt systema Francicae legislationis circa pignus, hypothecam et caetera jura in re, ab eo, quod nostra lege sancitur. Non opus est profecto, ut in memoriam revocem, duo nostri Codicis principia circa hypothecas, nimirum publicas eas esse oportere et speciales, quae principia jure Francico ignorantur, neque ut in memoriam revocem, dominium secundum Cod. Napoleonicum acquiri posse per contractum sine traditione et non ad eandem normam exigi privilegia et pignora.

Mirum igitur non est legistatorem, cum conficerent codicem quo hodie utimur, non semper attendisse discrimen inter jus in personam ex obligatione inter duos pluresve personas exstante, nasciturum, et jus in re, quo contra omnes qui quovis modo re continguntur, quae nobis obligata est, actio nobis tribuitur.

Est hujus discriminis negligentia quae historicum hujus articuli studium satis reddit difficile, non tantum, quia legislatoris sententia eo minus recte cognosci potest, sed etiam quia voluntas illa saepe — et in hoc speciali casu praesertim — oppugnatur per praecedentia juris placita.

Semper igitur in hac disputatione duplex haec difficultas nobis erit spectanda, ne in errorem inducamur.

Origo art. 1188 C. C., qui maxime constituit hujus speciminis fundamentum, nobis videtur art. 2102 Cod. Nap. ubi eadem fere leguntur verba, nimirum:

*Le propriétaire peut saisir les meubles qui garnissent sa maison ou sa ferme, lorsqu'ils ont été déplacés sans son consentement, et il conserve sur eux son privilège, pourvu qu'il ait fait la révéndication; savoir, quand il s'agit du mobilier, qui garnit une ferme, dans le délai de quarante jours, et dans celui de quinzaine, s'il s'agit de meubles garnissant une maison.*

Ibi tamen non leguntur verba, quae art. 1188 C. C. adjiciuntur: *Al waren dezelve ook aan eenen derde, door inpandgeving, of op eene andere wijze verbonden.*

Primo adspectu haec mutatio nostri codicis videretur mutatio locatoris privilegium restringens ad casus, quibus per pignus (vel simile quid, quo invecta et illata alteri obligari possent) invecta et illata e conductoris aedibus in tertii possessionem translata essent.

Tunc locator impediretur, quominus suo privilegio uti posset, in aliis casibus quam cum tertius erat creditor pignoratitius.

„Cum nimirum Francica lex universe dicat; *il conserve sur eux son privilège, pourvu qu'il ait fait la révéndication*, non distinguit inter causas cur deducta sint (*ont été déplacés*) invecta et illata; — nostra lex

tamen addens, *al waren dezelve aan eenen derde, door inpandgeving of op eene andere wijze verbonden, describit modum translationis et eo prohibet, quominus in aliis quam ibi descriptis casibus vindicatio fieri posset.*”

Talis explicatio nobis pugnare videtur cum vi verborum *indien dezelve buiten zijne toestemming gevoerd zijn*, et cum causa cur haec additio a legislatoribus facta sit.

Quoad primum, constat profecto, notionem verborum *al waren*.... ook non esse eam, qua praecedens locutio describatur, restringatur, vel circumscribatur, sed contra eam esse, quae — in praecedentem sententiae partem (*zin*) nullam vim habens — *praeterea* casus indicat, quibus etiam fieri potest quod locutione praecedenti indicatum erat.

Exemplo illustrare liceat hanc sermocinationem ex ipsis legis verbis haustam.

Art. 240 al. 2 Cod. Merc. legimus: *Hetzelfde regt van terugvordering heeft plaats ten aanzien van den koopprijs van in commissie gegeven en door den commissionair verkochte en geleverde goederen, voor zoover de koopprijs niet vóór diens faillissement mogt zijn gekweten, al ware het, dat de commissionair eenig voordeel had berekend als waarborg voor het zoogenaamd del credere.*

Nemo negabit in casu qui vocabulo *del credere* sig-

nificatur non tantum, sed etiam in aliis casibus, quibus *de koopprijs niet vóór diens faillissement mogt zijn gekweten*, jus reivindicacionis (*reclame*) committentem habere, quamquam verba *al waren..... ook* circumscribunt modum, quo pretium ante decoctionem solutum esset.

Quoad secundo loco causam attinet, quae verborum additioni originem dedit, tertiam sectionem audiamus concilii legislatorii.

*Ten einde te voorkomen dat geen pandnemer krachtens art. 1229 C. C. 1830 (nunc art. 1196 C. C.) ook in dezen eenen niet bedoelden voorrang zoude hebben, zoude achter de woorden: WANNEER DEZELVE BUITEN ZIJNE TOESTEMMING VERVOERD ZIJN, behooren gevoegd te worden, en zelfs onverminderd het bepaalde ten slotte van art. 1229 C. C. 1830 (hodie art. 1196) wanneer dezelve in pand zijn gegeven, of iets dergelijks. Hic art. in Codicis Specimine, 24 Oct. 1823, ita erat conscriptum: De verhuurder kan de roerende goederen welke tot stoffering van het huis of de landhoeve behoorden, of tot bebouwing of gebruik van het land dienden, in beslag nemen, indien dezelve buiten zijne toestemming zijn vervoerd, en hij behoudt daarop zijnen voorrang, al waren dezelve ook aan eenen derde door inpandgeving of op eene andere wijze verbonden. Ex his verbis et ex causa hujus mutationis luce clarius patet, quid sibi legislator voluerit, cum haec*

verba adderet, nimirum eo noluit retentionem locatoris privilegii restringere sed praevinire pugnam, quae fortasse oriri posset inter jus pignoratitii creditoris et privilegium locatoris decepti.

» Sed — dicas fortasse — talem pugnam invenimus cum spectamus concursum de quo *hic* sermo est, nam lex per insertionem verborum *al waren dezelve etc.*, tollere voluit difficultatem, quae inter jus creditoris pignoratitii et privilegium locatoris oriri posset. Hanc tollens eo simul lex sustulit, per vim regulae: *inclusionem unius esse exclusionem alterius*, opportunitatem, ut bonae fidei emtor conditione in articuli placito descripta, uti possit.

Ea quae sequuntur in brevi hac indicatione modi, quo articulus conscriptus sit, historia duce, optime hanc argumentationem refellere videntur.

Profecto, verbis: *al waren dezelve ook aan eenen derde door inpandgeving of op eene andere wijze verbonden*, intelligendum non credo — ut nonnulli censent — etiam emtionem-venditionem recensendam esse inter casus, legis his verbis expressos: *of op eene andere wijze verbonden*.

Duplex est causa cur mihi videatur talis explicatio non admittenda:

1°. notio verbi *verbonden* pugnare videtur contra talem explicationem;

2°. ratio legis eam praeterea non sinit.



1. Cum lex nostra dicit de juribus domini, nunquam locutione utitur quasi dominus dominium suum sibi habeat obnoxium (*verbonden*.)

Hoc verbum tantum usurpatur de juribus quae alii quam dominus in rem ejus exercent vel exercere possent, quae speciali verbo nominantur *démembrements de propriété*.

Ratio est in promptu.

Domini natura ea est, ut in domino quasi solvi dici possit, ita ut quis dicere non posset — venia sit verbis, — hujus qualiscunque rei *quaedam* ad me pertinent, sed unus sum cum re, cum dominio; cum vero alteri partem sui domini\* concedat, hujus veritatis et praesumptionis<sup>1</sup> exceptio verbis indicatur *verbonden zijn*. Sic etiam nostra lex sedulo in art. 1208 et 1209 C. C. distinguit, (dicens de eorum necessitudine (*betrekking*) erga dominum vel erga hypothecarium jus habentem tertium) inter res immobiles (*onroerende goederen*) erga dominum, et res immobiles obligatas (*verbonden onroerende goederen*) erga tertium qui gaudet jure hypothecario.

His omnibus addendus videtur vulgaris loquendi usus, quo nimirum notio verbi *verbonden* satis constat. Exprimitur enim semper eo vocabulo *quaedam* necessitudo

---

<sup>1</sup> Cf. art. 627. C. C. *Ieder eigendom wordt vermoed vrij te zijn.*

*Hij die beweert eenig recht op eens anders zaak te hebben, moet dat recht bewijzen.*

obligatoria; talis necessitudo inter objectum quoddam et ejus dominum a natura domini repudiatur.

2. Ratio legis in verbis codicis nostri legitimis patet e verbis viri consultissimi NICOLAI, quae dixit in concilio legislativo d. 1 Martii 1825, de art. 1188 C. C., et d. 7 Martii 1825, de art. 1187 C. C., quae nominatim hic citandae videntur;

*Le droit de saisie et de poursuite que l'article 12 accorde au bailleur en cas de déplacement, peut-il être invoqué par celui-ci et dans les délais prescrits contre l'aubergiste, le voiturier et le gagiste? Il semble que ce droit ne peut lui être refusé; la disposition de la loi est générale: le bailleur peut saisir et révéndiquer lorsqu'il y a eu déplacement; on ne fait aucune distinction entre les personnes qui ont reçu les objets déplacés, il suffit qu'ils ont été transportés hors de la maison ou de la ferme qu'ils garnissaient, pour que le bailleur doive être écouté. Et s'il en était autrement, la loi serait constamment éludée; le fermier de mauvaise foi ne se contenterait pas de déplacer, il mettrait en gage, et les suretés promises au bailleur seraient rendues illusoires.*

Art. 1187. Ainsi le vendeur ne pourrait plus exercer son privilège si l'objet vendu et non payé avait été mis en gage, si comme effet de voyageur il avait été transporté dans une auberge, ou s'il était possible de quelques frais du voiture, alors la condition

à laquelle le privilège est attaché venant à défaillir, le privilège cesse de plein droit, et la créance du vendeur devient une créance ordinaire, parceque les meubles n'ont pas de suite.

Cet axiome reçoit néanmoins une exception en faveur du bailleur dans le cas où des meubles garnissant une maison ou une ferme auraient été déplacés sans son consentement. Il peut revendiquer ces objets dans un délai déterminé et exercer ainsi les effets de son privilège. Cette disposition est nécessaire, pour prévenir le déplacement frauduleux que l'on pratique trop souvent pour éluder les suites d'une exécution mobilière.

His verbis enim patet delegatorum concilium semper intellexisse verbis: *of op eene andere wijze* casus, quibus sermo erat de concursu jurium tertiorum in invecta et illata, cum privilegio locatoris, quando tertii jura pignoris, privilegii, vel dominii, sustinere possent in detrimentum privilegii locatoris.

Universa ratio hujus explicationis nititur regula: *Ubi lex non distinguit nec nostrum est distinguere.*

Historia quando nobis duci inservit ad sensum verborum *al waren dezelve* inquirendum, nos docet Francicam art. 2102 C. C. enunciationem non mutatam esse, in art. 1188 C. C., nisi additione horum verborum in casu speciali.

Eo ipso tamen patet, dominium inter verba, *of op eene andere wijze verbonden*, nunquam comprehendi,

quod verbi notio prohibet hoc systema et quod jam in praecedenti locutione comprehensum erat, ubi non distinguebatur. Nihilominus coetus legislatorius non excludit casum, quo invecta et illata alteri bona fide emtori vendita et tradita essent.

Ne rursus dicam de notione verborum *al waren dezelve ook cet.* sufficiat in memoriam lectoris revocare priorem hujus articuli scripturam, unde patet nunquam quemvis cogitasse de discrimine hujus disquisitionis objecto, nempe emtorem privilegii vim non sentire.

Art. 12 nempe speciminis d. 21 Oct. 1824, erat sic conceptum :

*De verhuurder kan het huisraad, hetwelk tot stoffering van het huis of de landhoeve verstrekt, in beslag nemen, wanneer hetzelfde buiten zijne toestemming vervoerd is, en hij behoudt daarop zijn voorrang, mits hij die voorwerpen geregtelyk hebbe opgeëischt binnen den tijd van 40 dagen, na de vervoering van hetgeen tot enz. Additio al waren dezelve enz. non aderat.*

Art. 12. Speciminis d. 5 Martii 1825 (art. 1221 C. C. 1830) eadem fere verba continebat, parva mutatio in hac quaestione nullius momenti facta est, ut Neerlandica Francicae scripturae congrua esset.

Mutatio denique qua art. 1188 factus est qualis hodie exstat, ut supra vidimus, est introducta, ut legislator prohiberet, ne creditor pignoratitius privilegium praeter et super locatorem haberet.

Hic specialis casus a legistatore indicatus igitur non mutat universam normam, quacum non pugnat.

Accedit denique, regulam juris: *inclusionem unius esse exclusionem alterius*, non nisi cautissime adhibendam esse. Uti argumentatio ex absurdo periculosissimus est modus argumentandi, ita etiam haec ratio quaestionis decidendae non nisi caute adhiberi potest. Ut enim adsit concurrere debent: casum esse ejus naturae, ut unicus per legem distincte sit definitus, et ut casus contrarii circumscriptio e vi legis ipsius et unius appareat:

Quoad primum, non opus erit demonstrare, concurrere posse creditorem pignoratitium et emtorem cui invecta et illata tradita sunt et ita vice vera.

Constat enim legem hîc tantum attendisse in speciali casu de jure in re aliena, et hanc ob rem de domino (emtore post traditionem) non locutam esse, ejusque conditionem igitur non hoc ipso placito indicasse.

Nunquam quis audebit contendere in verbis *al waren... ook* legem distincte dicere: in his tantum casibus licebit cet. locatori privilegio suo ceterorum jura postponere. Verba enim *al waren... ook, of op eene andere wijze* prohibent omnem explicationem restringentem articuli universi. Scriptura articuli ea est, ut ultima locutio pendeat a priori neque eam circumscribat.

Quoad secundum, tantum unus syllogismus debet adesse, ut regula *inclusio unius est exclusio alterius*, recte applicetur.

Hic vero major duplex adesse debet, ut articulus ea regula limitative explicetur.

1. Lex dicit: *door in pandgeving of op eene andere wijze verbonden.*

2. *Emtio-venditio non pertinet ad modos quibus res dicuntur cuidam esse obnoxias.*

3. *Emtio-venditio igitur non pertinet ad casus, verbis hic usurpatis, indicatos.*

4. *Privilegium igitur non valet prae jure emtoris bonae fidei, cui invecta et illata tradita sunt.*

In hoc syllogismo major duplex (qui regulae: *inclusio unius* cet. applicandae hic nocet) eo adest, quod, enunciata in 1<sup>o</sup>. et 2<sup>o</sup>., notiones constituunt plane a se diversas et non pendent. Ita vidimus historiam legislationis, verborum notionem, atque legis rationem impedire, quominus emtoris bonae fidei, cui tradita sunt invecta et illata, jura salva maneant, cum concurrere debeant cum privilegio locatoris; eo ipso patet art. 637 C. C. beneficio ex hac legis historia — art. 637 C. C. historia, notione et legis ratione de eo argumento tacentibus — emtorem uti non posse.

Quamquam enim lege nostra constitutum est, titulum possessione constitui, <sup>1</sup> eo non impeditur, quominus — quando licet — contra hujus tituli vim atque efficaciam probetur.

---

<sup>1</sup> Cf. art. 2014 C. C.

Cum hoc casu — ex historico legis placiti sensus conspectu — haec probatio contra titulum permittatur, atque vim habeat, emtori non licet propter regulam: *mobilia non sequelam habere*, recusare redditionem locatori, qui in ea suum privilegium exerceat, quia regula illa in jure nostro non adest; neque habet jus in pretium, quando etiam in foro, vel a mercatore qui mercaturam agere in ejusmodi mercibus solet, secundum art. 637 C. C., emisset, quod hic art. tantum jus dat in pretium quando res quae vindicatur, est deperdita vel furto amissa.<sup>1</sup>

De his vero dicemus in ultima parte hujus disquisitionis.

---

<sup>1</sup> Cf. GOUDSMIT in *Themis* IX. p. 28. Contra Tribunal. q. e. Lugd. Bat. 11 Oct. 1848. *Weekblad v. h. R.* N. 975.

---

---

## II.

### LEGIS ANALOGIA.

---

Quamquam ex superioribus ut spero satis probabile esse videatur, sententiam legislatoris universe eam fuisse, quae locatori prae emtore privilegium tribuat, tamen non prorsus supervacuum esse videtur, ut quaestio etiam ex juris analogia consideretur.

Lex enim cum clara sit, nullo opus habet de analogia juris examine, cum vero non clara sit, licet ipsa sententia legislatoris *apparere* videatur, plenius explicari non potest, nisi rite examen constituatur, de ejus cum universi juris positivi congruitate sive analogia.

Quamquam enim jus scriptum excludit quaestionem de ejus concordantia cum juris ratione atque analogia, quaestio num placitum quoddam lege contineatur nec ne, minime hoc examen excludere videtur, quia in hoc casu quaestio movetur, non, an legis placitum juris analogiae sit congruum, sed an legis placitum sic se habeat, ut ex legislatoris voluntate se habere *videtur*.



Multum enim abest, ut e deliberationibus tantum semper legis sensus atque ratio deduci possit; cum enim lex facta sit a pluribus delegatis, et tantum unus vel duo locuti sunt, nescimus causas cur ceteri, adeoque plerique, de lege constituenda optaverint.

Cum hoc semper incertum debeat manere, etiam non tantum deliberationes unice spectandae sunt, tamquam fundamenta sufficientia ut legis sensus exprimatur et firmetur, sed certum est, hanc legislatoris praesumptam voluntatem nunquam eo valere posse, ut juris positivi ratio analogica eo tollatur.

Ne tamen falso judicemus, cum sic spectamus juris analogiam, addendum videtur: Cum dicimus juris analogiam per unam praesumptam legislatoris voluntatem mutari non posse, eo intelligimus *eam* juris analogiam, quae fluit ex ceteris placitis, de quorum vi atque sensu quaestio non est. Legis systema, non juris systema in placitis non disputatis, indagamus.

Inde tunc in hac disquisitione proficiscens primo loco nobis spectandum erit: Quale systema nostrae legis de hoc privilegio erga tertios statuat.

Secundo loco: Quenam jura lex nostra possessioni tribuat.

---

A.

Quoad primum, quaestio praesertim est dijudicanda e diversa natura juris in personam et juris in re, in quo argumento denuo distinguenda sunt, jus philosophicum et jus positivum, quod hic tantum partim naturam hujus discriminis statuit.

Jus Romanum locum dedit huic discrimini per variam actionis speciem, quae instituenda esset, prouti res vindicaretur, vel persona ad solvendum obstringeretur.

Cum enim ordo procedendi per formulas Romae obtinebat, Gajus<sup>1</sup> jam docet, tantum duas species formularum esse; actionem in rem, si in formula haec *intentio* dicebatur: *Si paret rem ex jure Quiritium Auli Agerii esse*, actionem vero in personam, si haec formula usurpabatur: *Si paret Titium sertertium millia dare oportere*.

Tres partes hujus formulae erant:

*Demonstratio* qua continebatur factum, unde fundamentum petendi hauriebatur; e. g. quod depositi apud Maevium; saepe adest in intentione ipsa.

*Intentio*, qua continetur quid sibi actor velit.

*Condemnatio* qua judex dabatur cui jussum erat:  
*Si paret condemna, si non paret absolve.*

---

<sup>1</sup> IV. 1. l. 25. Dig. de oblig. et act. XLIV. 7.

Adjudicatio in actionibus finium regundorum, familiae erciscundae et communi dividundo formula dabatur: *Quantum adjudicari oportet iudex Titio adjudicato.*<sup>1</sup> Inde patet ratio, qua Romae agebatur. Praetor vel negabat vel dabat formulam et iudicem; caeterum in formula actoris exceptio etiam reo dari poterat, quae conditionalem faciebat formulam.

Cum autem formula et iudex a Praetore dati erant, disquisitio iudicis tantum spectabat quaestionem, an id de quo agebatur pateret nec ne.

Si patebat, *intentio* qualis formulae inerat actori tribuebatur, si non patebat vero non.

Cum ita haec intentio erat: *Si paret rem ex jure Quiritium Auli Agerii esse*, condemnatio enunciabatur de eo agro qui quasi addicebatur actori. Cum nulla lis sine reo exstare potest, condemnatio fiebat erga reum, spectabat vero semper agri restitutionem.

Cum vero intentio erat: *Si paret Titium sestertium millia dare oportere* condemnatio iudicis ea sestertia non addicebat victori, sed ei tantum tribuebat jus contra personam ipsam.

His ad majorem rei intelligentiam videtur addenda animadversio, jure Romano actionem in personam nullo modo secum ferre jus in ejus bona, sed tantum jus

---

<sup>1</sup> Mr. G. L. JANSMA v. D. PLOEG, Het Rom. regt naar aanleid. der Inst. § 254. sqq.

contra eum ipsum; Ita cum reus esset condemnatus ad sestertia solvenda, nihilominus (praesertim juris Romani primis temporibus) victor jus tantum habebat eum incarcerandi potius quam ei bona auferendi; tantum temporibus posterioribus per *pignoris capionem*, *bonorum publicationem*, et *bonorum proscriptionem* simile quid hodiernae evictionis (*uitwinning*) constibuebat.

His omnibus luce clarius patet, quam accurate Romani distinxerint inter jus in re et jus in personam;

Hoc discrimen semper postea accurate observatum, doctentibus juris doctoribus et auctoribus;<sup>1</sup> etiam hodiernis legibus plerisque sancitur, excepta tamen quadam additione, quae minime justa dici potest, nimirum actionum mixtarum quae non exstant.

Nam, quamquam art. 129, al. 3 nostri Cod. de Ord. proc. civ. narret: *De gemengde regtsvordering is de zoodanige, welke tegelijk persoonlijk en zakelijk is, te weten: de regtsvordering tot verkrijging eener erfenis, die tot boedelscheiding, die tot deeling van de gemeenschap, die tot afpaling van bij elkander gelegen erven*, eo quidem in his casibus peculiarem methodum procedendi constituere potest, sed hoc non

---

<sup>1</sup> HEINECCIUS, in Inst. § 33 en 767; WOLFF, Jus. Nat. Pars. III. § 778. 781; BARBEYRAC SUR PUFFENDORF, Droit de la nature, I. 4. Chap. 9. § 8; BARBEYRAC SUR GROTIUS, II. 3. § 19; HUBERUS, In Inst. II. I. § 11; TOULLIER, Droit Civil Français. III. 84; *La Belgique Judiciaire*, 1851. p. 449.

impedit quominus placitum ipsum sanae juris philosophiae abhorret. Quod hic ea de re sermo non est *brevisissime* hanc sententiam exponam.

In actionibus in rem et contra personam, voluntas partium semper ea est, ut res quaedam nobis contingat, sive nostri sit domini sive in alterius adhuc dominio. Sedulo igitur discernenda est in actionis investiganda natura, num objectum quoddam directe vel tantum per personae interpositionem petatur.

Hujus discriminis negligentia causa est, cur in actionibus mixtis diversa quaedam natura inventa est quam aderat in actione in personam vel in rem. —

Cum nimirum, e. g. haereditatem peto, in rem instituo actionem et quidem in rerum universitatem, cujus vis haec erit, ut ad me pertinere videantur etiam res singulares quae sunt in haereditate, et hoc ipsum ut ipsius defuncti personam, bonorum saltem ratione, suscipere atque continuare videar. Hinc igitur fluunt denuo aliae actiones e. g. contra debitorem obligationis. Haec actio secundarii ordinis, est actio personalis; hoc vero non impedit, quominus res principalis, quae inde ab initio petebatur, *vindicetur*, et actioni in re originem tribuat. Si in hac dissertatione quaestio hac de re esset sic pergere possemus, sed nimis ab hujus fine deduceremur. Una tantum adhuc observatio nobis superest; de origine nimirum hujus erroris quasi inveterati per frequentem usum, elabora-

tionem et applicationem. Cum in § 1 Inst. de Act. dicebatur:

„Omnium autem actionem quibus inter aliquos iudices arbitrosve de quacumque re quaeritur, summa divisio in duo genera deducitur: *aut enim in rem sunt, aut in personam,*”

In § 20 ejusdem tituli dicitur:

„Quaedam actiones mixtam causam obtinere videntur, tam in rem quam in personam, qualis est cet, in quibus tribus judiciis permittitur iudici cet.” —

Omnnes qui errorem actionum mixtarum defenderunt, non viderunt hos duos textus ita inter se pugnare, si in § 20 re vera constitutae sunt tres species, in § 1 vero tantum duae. Simplex vero haec animadversio demonstrat pugnam re vera non adesse et § 20 minime tertiam speciem actionum constituere; „*quaedam actiones mixtam causam obtinere videntur,*” non exprimit sententiam praeterea actiones esse quae mixtae sunt, sed tantum eam *quasdam actiones videri* (i. e. non *sunt* sed tantum *videntur*) duplicem effectum habere. Ibi igitur non dicitur de *re exstante*, sed tantum de *specie*; non de objecto sive intentione sed de effectu (causa) actionis. L. 22 § 4 Dig de fam. ercisc. hanc sententiam firmare videtur „familiae erciscundae iudicium ex duobus constat, i. e. rebus atque praestationibus quae sunt *personales* actiones.”<sup>1</sup>

<sup>1</sup> La Belgique judiciaire 1851, p. 452.

Praesertim cavendum nobis videtur ne actiones *in rem scriptas* cum actionibus *in rem* sive *mixtis* confundamus.

Sunt enim quidam casus, in quibus propter facti turpitudinem actio dabatur contra omnes, qui quadam necessitudine hujus rei continebantur.

Hujus rei erant exempla, restitutio in integrum, actio Pauliana,<sup>1</sup> actio ad exhibendum,<sup>2</sup> actio quod metus causa,<sup>3</sup> actio noxalis<sup>4</sup> a POTHIER inter actiones mixtas redactae.

Talia exempla minime efficiunt, ut quae diximus de praecise distinctione Romanorum vim perdant, sed contra, per regulam, exceptionem regulam firmare, magis magisque veritatem probant, atque absentiam omnis actionis mixtae demonstrant.

Haec pro hoc loco sufficiant de actionibus mixtis; sunt in nostro codice admissae, et cavendum nobis est,

---

<sup>1</sup> l. 9, D. quae in fr. cr. XLII, 8.

<sup>2</sup> l. 3, § 15. D. ad exhib. X, 4.

<sup>3</sup> l. 9, § ult. D. quod m. c. IV, 2.

<sup>4</sup> l. 1, § 12 D, si quadr. paup. IX, 1.

Contra censerunt; POTHIER, introd. génér. aux Cout. N. 122; TIRAGEAU, De retractu Gentilitio § 3, glose III, N. 319; DE LAURIÈRE, Coutumes de Paris, II, 5 en 6; LOYSEAU, Dict. voce Déguerpissement. II. ch. 1 N. 3; Cf. tamen. DOMAT. Loix L. II. p. 238; DUVAL. Parfait procureur I. ch. 8; JOUSSE. Introd. au Com. Ordon. 1667 T. 2. d. 1.

ne in his casibus hanc distinctionem negligamus; attamen propter regulam, *qua id quod contra juris praecepta est receptum, non ad consequentiam producendum est*, actiones mixtae ne admittantur praeter casus lege definitas, animadvertendum videtur.

Ad analogiam nostri positivi juris redeamus.

Legislatio nostra in art. 622, 1269, 1349, 1376 C. c. et 129. C. de ord. proc. civ., naturam citat et species juris in re et juris in personam.

Art. 129 C. de ord. proc. civ. dicit: *De persoonlijke regtsvordering is de zoodanige, welke tot onderwerp heeft de vervulling eener persoonlijke verbindtenis, uit overeenkomst of uit de wet voortvloeiende.*

Articulis citatis C. C. satis patet, e contractibus et lege, obligationes oriri, quae tantum personas contrahentes vel per legem obligatas, tenent.

Jurium autem quibus utuntur personae nonnulla sunt talia, quorum effectus jus quoddam est in re. Hoc jus in re quale sit constat ex art. 129 al. 2. C. de ord. proc. civ. *De zakelijke regtsvordering is de zoodanige, waarbij de eigendom van eene zekere en bepaalde zaak, of wel eenig ander zakelijk regt geëischt wordt.*

Art. 584 C. C. citat species juris in re, dicens: *Men kan op zaken hebben, hetzij een regt van bezit, hetzij een regt van eigendom, hetzij een regt van erfgenamschap, hetzij een vruchtgenot, hetzij een regt van erfdienstbaarheid, hetzij een regt van pand of hypotheek.*



Ex art. 721, 758, 767, 786, 803, et 865 C. C. patet, verbum *vruchtgenot* in art. 758 C. C. etiam continere jura superficiici, emphytheuseos, census et decimarum, ususfructus, et usus et habitationis. His articulis patet, privilegium si est jus in re, peculiarem requirere mentionem, cum cetera jura in re tam accurate memorantur.

Haec vero mentio non adest. Contrarium fere significatur in lege. Nam natura privilegii a legislatore accurate est descripta, et ita ut tamquam jus in personam creditori contra debitorem pertinens consideretur.

Ubi enim legimus art. 1177 C. C. *Alle roerende en onroerende goederen van den schuldenaar, zijn voor deszelfs persoonlijke verbindtenissen aansprakelijk*, et in art. 1178 *eadem bona (die goederen) creditorum esse, tot gemeenschappelijken waarborg*, et inter eos *pondspondsgelyk naar evenredigheid van ieders schuld dividi; ten ware er tusschen hen wettige redenen van voorrang mogten bestaan*, luce clarius nobis apparet, praesertim e similitudine verborum art. 129 C. de ord. proc. civ. et hujus articuli (*persoonlijke verbindtenissen*) non nisi peculiari legis placito, efficaciam juris in re privilegio tribui posse.

Hoc legis placitum neque hic adest. Art. 1179 dicit quidem: *De voorrang tusschen schuldeischers spruit voort uit privilegie, uit pand, en uit onderzetting of hypotheek*, sed quia hic uno contextu in eadem locutione

inveniuntur, non sequitur privilegia esse jura in re, quia pignus et hypotheca jura sunt in re.

Haec jura enim duobus aliis locis *zakelijke regten* vocantur, in art. 584 C. C. nimirum, et in locis ubi ulterius explicantur. Articulus 1179 etiam expresse ea de re dicens, videtur excludere omnem deductionem e horum conjunctione in hac eadem locutione.

Putat DIEPHUIJS, *Ned. Burg. Regt*, etc. V. p. 489, creditorem universe suum privilegium tamdiu exercere posse, quamdiu debitor in ejus objecti possessione est, atque hoc privilegium suum objectum in aliorum manus non persequi, uno casu excepto, nimirum conductoris.<sup>1</sup> Hoc tamen non impedit, quominus creditor privilegiatus utatur quodammodo jure in re in objectum in quo privilegium potest exerceri. Siquidem minus perfectum est atque alia jura in re, est tamen jus quo objectum certum certa quadam propiori necessitudine erga creditorem est.<sup>2</sup>

B.

Hujus veritatis principia, diversis modis privilegia explicare videntur. Nam, ne loquar de modo, quo privilegium apud nos constituitur secundum art. 1180 al. 1 C. C., nimirum a lege, constat, privilegium

<sup>1</sup> DURANTON, XIX, N. 31.

<sup>2</sup> VOORDUIN, IV, p. 337, TROPLONG, I, N. 12.

cum constitueret jus in re, tantum per inscriptionem juris nostri sensu, atque ratione nostrae legis, condi posse; <sup>1</sup> — est enim unica ratio, quae firmat tertiorum necessitudinem erga privilegii objecta.

Non opus enim est ut in memoriam revocem, naturam juris in personam eam esse, quae impedit quominus actio erga alios oriatur quam erga debitorem, et quod in jure in re evincentur aliorum quam debitoris bona.

Licet igitur tempore contractus initi, bona erant debitoris, cum ea ipsa, tempore contractus resoluti, ad alium pertinent, nulla actio contra haec bona cuidam datur.

Hic praesertim distinguendae nobis videntur regulae: mobilia non habere sequelam, in mobilibus possessionem esse pro titulo, et jus in personam erga tertios dominos bonorum, quae olim in debitoris dominio erant, exerceri non posse.

Prima regula enim impedit, quominus e. g. jus pignoris exerceatur in bonum vel rem quamdam, quam possidet adhuc debitor; creditor, qui ita jus ad pignus constitutum, sed jus pignoris ipsum non habet, tamquam creditor concurrens in hujus rei pretio aliis non anteponitur.

Secunda regula impedit, quominus — casibus furti vel perditionis exceptis — detentor rei mobilis a quo-

---

<sup>1</sup> Cf., art. 1224 C. C. et 571, 572. C. Merc.

cumque turbetur in ea possessione, nisi, ut nuper judicavit tribunal Dordracenum, probetur detentor esse in possessione sed non possidere, et sic facultate carere justitiam hujus possessionis defendere. Legimus de hoc argumento in Ephem: Amstel. (Amsterd. Courant) d. 26 Aug. 1851.

*Men weet hoe dikwijls de houder van een vonnis teleurgesteld wordt, wanneer hij beslag willende leggen, door een verzet tegen de inbeslagneming belet wordt op grond, dat de goederen aan anderen toebehooren. Meestal is het dan den houder van het vonnis onmogelijk, het tegendeel van de waarheid der schriftelijke akte van overdracht dier goederen te bewijzen. Onlangs echter is zoodanige houder van een vonnis daarin bijzonder wel geslaagd, door namelijk te bewijzen, dat degeen die zich tegen de inbeslagneming verzette, daartoe niet het regt had, als wel in het bezit zijnde maar geen bezitter. De Arr.-Regtb. te Dordrecht, heeft namelijk den 17<sup>den</sup> Februarij 1851, o. a. beslist, dat het vermoeden, volgens hetwelk de huurder van een huis, de daarin aanwezige meubelen enz. bezit, voor tegenbewijs vatbaar is, en dit tegenbewijs o. a. gegrond op de soort van voorwerpen van handel, waarvoor een andere gepatenteerd was, enz. Dientengevolge oordeelde de Regtbank, dat genoemde huurster als slechts in het bezit zijnde, maar niet bezittende, onbevoegd was, zich tegen de inbeslagneming te verzetten.*

Haec regula vero non valet de immobilibus.

Tertia denique regula, quae valet de mobilibus et immobilibus, sive sint in detentione debitoris, sive in detentione creditoris ipsius, id secum fert, ut quando jus habemus in personam (jus ad rem) id non amplius in ea bona exercere possimus, quae desierunt ad eum pertinere. Tamen jus in re habentes, rem ubivis vindicare, vel in eam jus nostrum exercere possumus, in cujusnam manibus, detentione, possessione, vel dominio eam inveniamus.

Cum igitur locatoris privilegium pugnet contra duas ultimas regulas, illae per hoc legis placitum, vi destituuntur.

Cum hic inquiremus *legis analogiam*, jam statim ex regula: *specialibus generalia derogari*, patet, articuli 2014 C. C. regulam hic non valere, et sic etiam in aliis casibus quam furto et perditione, contra titulum (possessione constitutum) probari posse.

Quando enim constat, erga tertium bonae fidei emptorem, secundum legis praecepta et analogiam, locatorem suum privilegium exercere posse, art. 2014 C. C. vis extinguitur. Legis analogia neque hoc impedit.

Constat enim jure positivo :

1<sup>o</sup>. Privilegia in genere non tribuere creditori jus in re.

2<sup>o</sup>. Legem nostram tantum efficaciam privilegii locatoris tribuere erga tertios (non conductores) quando

casus respondet conditioni, quam lex exprimit verbis:  
*door in pandgeving of op eene andere wijze aan eenen  
derde verbonden te zijn.*

Non vero hoc placito constat, eo intelligendum esse casum, quo locator privilegium suum exercere potest contra tertium emtorem bonae fidei, cui res tradita erat.

Cum igitur ex adpectu philosophico-juridico valde differat, an invecta et illata a conductore oppignorentur vel ex titulo ad transferendum dominium idoneum tradantur, jus in re negari non posset locatori, si erga tertium emtorem bonae fidei privilegium exercere posset. Si enim conductor objecta privilegii oppignorat, ipse manet dominus, et locator agit contra tertium qui — quamquam habeat jus in re aliena — tamen dominus non est. Agit ergo contra bona sui debitoris, demptis, quantum sit necessarium, e vi specialis legis placiti, consequentiis regulae *tantum alienatum quantum hypothecatum (oppignorum)*.

Sed cum locator erga emtorem bonae fidei agit, cui res traditae sunt, tunc profecto objecta privilegii non amplius sunt conductoris, sed ad tertium pertinent. Tertius ille necessario erga locatorem in conditione detentoris versatur, in cujus manibus bona — si licet — persequi et vindicari possunt. Convenitur tertius tantum propterea, quod detinet bona, in quae jura exercentur, quum in altero casu, conductor non conveni-

tur tamquam per detentionem, in vecta et illata repraesentans, sed tamquam debitor ipse, in cujus bona creditor jus suum conatur exercere.

Quod vero, uti vidimus e legis analogia, jus in re locatori non tribuitur, hoc privilegium erga tertium bonae fidei emptorem, secundum eam analogiam exerceri non potest.

Et inde pugna inter voluntatem legislatoris *praesumptam*, et legis analogiam oritur, cujus solutio tertiam hujus disquisitionis partem ne nimis indigne impleat. Huic pugnae altera accedit quaestio, nimirum, num jus in re, si adsit, quoad privilegium attinet, adesse possit quoad regulam attinet: *in mobilibus pro titulo possessionem valere*.

Ea regula nimirum, art. 2014 C. C. comprehensa, per alineam 2<sup>am</sup> art. 2014 hujus Codicis, eam habet significationem (per verbum *niettemin* et invocationem art. 637 C. C.) ut tantum in furto et perditione, intra tres annos liceat probare contra hanc juris praesumptionem, quae in ceteris casibus est praesumptio juris et de jure.

Mihi fortasse objici potest, contractus mobilium, usufructus, commodati, pignoris, depositi, adesse non posse, cum tunc usufructuarius, commodatarius, creditor pignoratitius, depositarius qui ea detinent, tamquam domini mobilium spectandi essent, nisi ipsa mobilia essent vel furto ablata vel deperdita.

Haec ratiocinatio vero omnem vim probandi perdit,

cum spectamus, legem scriptam hic omnes difficultates tollere, et, siquidem ratiocinatio in hoc casu valeret, universae juris positivi circa possessionem theoriae, derogari per specialia haec legis placita. Sed ipsum id possessionis legis nostrae systema, plane congruit cum iis placitis, quod usufructuarius, commodatarius, creditor pignoratitius, depositarius, non possident, sed sunt in possessione. Quotiescumque enim quis rem quamdam detinet per efficaciam juris tituli, possidere dici non potest, quod possessio est facti, non juris necessitudo.

Solutio semper est dirimenda ex natura conditionis, qua quis rem detinet; nimirum, num res *facto* tantum possideatur, vel num quis per suam detentionem, quoniam titulo acceptam, tertio cuidam possessionem in eam rem tribuat.

Cum enim possessio non tantum constet in detentione objecti, animo sibi possidendi<sup>1</sup> sed etiam in facto apprehensionis, in dijudicanda conditione ejus, qui invenitur rem detinere, spectanda sunt non tantum conditio ipsa detentionis, sed etiam modus quo detentio originem cepit, quia inde pendet quaestio, utrum

---

<sup>1</sup> Cf. l. 2 D. de acquir vel amitt. XLI. 2; Mr. F. A. v. HALL, Dertig vragen omtrent bezit. Bijdragen III. 118; Mr. SCHOONEVELD, Diss. de act. poss. pr. p. 8. 45; Mr. OLIVIER, in Themis 1839. N. 3. p. 353; VOORDUIN, Titel omtr. bezit. III; DIEPHUYS, Ibid. III. 54.



tantum factum originem dedit detentioni, an e juris quadam necessitudine orta sit.

Si oritur e facto, est possessio, si oritur ex jure, pendet a tituli specie, an detentor possideat jure domini vel possideat pro alio.

Quando enim titulus talis est, qui tribuit jus possidendi (emptio venditio), e natura ipsa tituli patet, detentionem tunc non adesse. Hic bene attendendum est discrimen inter possessionem a jure possidendi ortam, et inter possessionem quae a nudo facto apprehensionis originem cepit. Quamquam effectus, quoad usum attinet, idem est et grammatica ratio hoc discrimen in verborum diversitate non notat, valde a se differunt earum origo et finis.

His omnibus patet, mobilium *possessionem* (non a titulo ortam) omne repudiare examen de ejus dominio, exceptis tantum furti et perditionis casibus, quia possessor praesumptione juris et de jure existimatur dominus, et quia casus, quibus alius quam dominus rem detinet, non alii esse possunt, quam nudaе detentionis, alio nimirum per eum possidente.

Quod cum ita se habeat, nonnullis verbis probare possumus, jus in re mobili adesse non posse, nisi aut res detineatur (non possideatur) ab eo qui jus illud non habet, aut nisi is, qui jure in re gaudet, ipse hujus juris objectum possideat, exceptis semper casibus furti, perditionis, et specialis legis placiti.

Cum enim jus in re sit *pars* domini, eo minus, tamquam pars erga possidentem exerceri potest, quando *totum* dominium ad id non sufficit.

Cum possessionis jus sit necessitudo facti, et jus in re necessitudo juris, numquam concurrere possunt, sed se excludunt. Sic dominus a possessore dominium vindicat in casibus licitis; hoc casu sibi obstant jus in re, et jus possessionis. In casibus vero illicitis, ambo simul exerceri non possunt, quod natura possessionis ea est, ut, tamquam e facto orta, omnem divisionem suae conditionis repudiat, sed praesertim efficaciam cujusdam iuridicae necessitudinis sentire non potest.

Si eam efficaciam subire debet possessio, extinguitur. Hoc vero non fit nisi in casibus licitis in domini favorem.

Hoc loco quaeritur de *privilegio*, non disputatur de *dominio*, sed tantum de jure in re, quod demonstratum est non exstare in locatoris favorem.

Ex his omnibus rationibus videtur deducendum, jus in re, ex legis analogia, a privilegio non constitui, et si quidem jus in re in privilegio adesse posset, exerceri non posse, quando ejus objectum inter mobilia recensetur.

Attamen sententia legislatoris contrarium videtur statuisse in art 1188 C. C.

Hujus difficultatis solutionem nobis offert tertia hujus dissertationis pars.

---

### III.

#### S O L U T I O .

---

Pugna inter haec duo systemata, facilius tollitur quam quis quidem crederet, qui accurate spectat sequelas diversas horum variorum systematum.

Solutio enim inest objecto ipso privilegii.

Cum nimirum art. 1186 C. C. conscriberetur, multum quaesitum est de dominio objectorum privilegii, quasi id nimirum exerceri non amplius posset, si res mobiles ad alium quam ad conductorem pertinebant.

Hujus loci profecto non est, etiam *hujus* articuli historiam indagare; sufficiat hic dicere, patere ex legis historia ejus sensum nullum alium esse posse, quam eum, omnia in vecta et illata locatoris privilegio esse subjecta.

Imo in primo specimine additum erat, nihil interesse, utrum conductoris essent nec ne.

In specimine 13 Martis 1833 (VOORDUIN IV, 374—375) art. 1186 haec continebat:

*De verhuurder kan zijn voorregt doen gelden op de vruchten, welke nog door takken aan de boomen of door wortels aan den grond zijn vastgehecht, voorts op de inge oogste vruchten, die zich op den bodem bevinden, en op al hetgeen op den bodem is, zoo tot stoffering van het gehuurd huis of der landhoeve, als tot bebouwing of gebruik van het land, zooals het vee, de bouwgereedschappen of dergelijken, onverschillig of de hierboven vermelde voorwerpen al dan niet aan den huurder toebehooren.*

Regis minister in adjecta legis explicatione (*Memorie van Toelichting*), hanc additionem defendit, dicens:

*Dat men behalve het verbeterd opstel van dit artikel, en de uitstrekking van den voorrang op de in-  
vecta et illata, ook tot hetgeen zich op den bodem bevindt tot bebouwing of gebruik van het land, als het vee, de bouwgereedschappen, enz., bij het slot van het eerste lid van dit artikel uitdrukkelijk heeft bepaald, dat het tot de uitoefening van het voorregt niets ter zake doet, of de voorwerpen al dan niet aan den huurder toebehooren. Deze met onze vroegere wetgeving overeenstemmende verordening strekt daartoe, om te voorkomen, dat door zamenspanning en bedrog de verhuurder niet van zijn voorregt worde verstoken, onder voorwendsel dat de goederen, die zich op den bodem bevinden, aan derden toebehooren; het spreekt overigens van zelf, dat ten dezen alleen worden be-*

doeld, die tot stoffering der woning of tot gebruik of tot nut van het land dienen, en alzoo in genen deele de zoodanigen, die ter leen, bij bewaargeving of anderszins, op den bodem zijn gebragt.

Haec historia (non tantum totius placiti, sed etiam *hujus* privilegii) secum fert, locatorem olim tacitum pignus habuisse, quae regula nunquam prorsus vim habere desiit.

His omnibus addenda videtur specialis exceptio, quae in codicis nostri specimine facta est, ea nimirum, quae omnia, quae in possessione conductoris erant, i. e. ab eo pro alio possidebantur, excepta erant. Nominatim tunc e. g. recensebantur depositum cet.

Haec exceptio ipsa, in hoc casu firmat regulam de possessione ipsa.

Multi hoc loco rationem legis adducunt, quasi legislator privilegium tam latum fecerit quam posset, ne locator ab aliorum fraude deciperetur <sup>1</sup>.

Quamquam credo, rationem legis hic nimis universam constituere consequentiam quin inde legis placitum explicaretur, credo tamen eam hoc casu meae explicationi non nocere.

---

<sup>1</sup> J. VAN RIEMSDIJK. Diss. de privilegio quod habet locator rei immobilis. L. B. 1835; Hooge Raad 7 April 1841. Ned. Regtspr. VII, § 65; Cf. etiam 's Hertogenbosch 5 Mei 1844. Weekblad v. h. Regt, N<sup>o</sup>. 551; Themis III, 137; Arnhem 1851. Amst. Cour. 26 Aug. 1851; DE PINTO. § 635, N<sup>o</sup> 8. Weekbl. v. h. Regt, N<sup>o</sup>. 232, 365, 108; Vragen van Ned. Regt, p. 659. ASSER § 613.

Qui tacet enim non utique fatetur, sed tamen non negare videtur.

Cum igitur dominium conductoris, in privilegio locatoris exercendo non requiratur, (cum is illud privilegium erga tertium vult persequi) quaestio non movetur de dominio rei mobilis, sed tantum num in aedibus adfuerint.

Quod cum ita se habeat, sensus legis valet, et legis analogia in hoc placito est sine applicatione, quod hic agitur de exceptione.

Apud Romanos aderat actio in rem scripta, quo rem adversus omnes persequabantur.

Aliquid simile hic adest. Licet privilegia non constituent jura in re, tamen locatoris privilegii objecta, separata a domini quaestione, ei obligata manent, in cujuscumque manibus adsint, nisi tantum pro alio possideantur e. g. usufructus.

Cum hoc casu, in casibus non exceptis, e. g. pignore, quaestionis solutio hoc de quo supra monui fundamento careat, neque credimus privilegium erga tertium detentorem (non possessorem) valere. Hic casus vero fingi fere non potest.

Secundum nostrae opinionis eventum, quamquam ob causas diversas, judicavit Tribunal Lugd. Bat. 11 Oct. 1848, propter rationes sequentes, quas perspicuitatis causa, verbotenus referimus:

*Overwegende, ten aanzien der vraag, of het regt tot*

*pandbeslag, zich ook uitstrekt tot goederen, van den verhuurden bodem afkomstig, waarvan derden door koop of anderen wettigen titel te goeder trouw den eigendom hebben verkregen, dat die vraag bevestigend behoort te worden beantwoord;*

*Dat volgens art. 1188 B. W. tot de uitoefening van dat regt niet anders wordt gevorderd, dan dat de goederen buiten toestemming des verhuurders zijn vervoerd, en zulks onverschillig of dat vervoer heeft plaats gehad ten gevolge van een' koop dan wel om andere redenen.*

Non facimus cum hac sermocinatione, nam quamquam constat in art. 1188 verbum inveniri *vervoerd zijn*, eo non potest deduci ab hoc uno verbo totius articuli applicationem pendere. Ne in memoriam referam quae dixi in tractanda prima parte hujus disquisitionis, hic sufficiat animadvertisse ex art. 1186 et tota materie locatoris privilegii deducendum esse, quaestionem semper solvendam e loco quo invecata et illata ante ablationem erant.

*Dat er ook geen grond bestaat om ten deze de beperkende uitlegging van den ged. aan te nemen; daar zij niet alleen de ontduiking der wet bij huurders te kwader trouw aanmerkelijk zoude bevorderen, hetgeen de wetgever niet kan hebben bedoeld, maar die uitlegging daarenboven in strijd zoude zijn met den aard van het regt, waarvan hier de rede is.*

Non magni facimus explicandi rationem qua hic

Tribunal usum est, nimirum vagam illam incertamque explicationem ex convenientia, nam sic ab altero latere, multa dici possent in favorem eorum qui emerunt bona fide a conductore perfido. In omnibus quaestionibus praesertim de privilegii natura, haec explicandi ratio non admittenda videtur, quia semper iis unus alteri praefertur, quod non licet sine legis expressa sanctione.

*Dat toch dit regt aan de verhuurders op de invecta et illata toekomende is een zakelijk regt, hetgeen even als andere zakelijke regten, tegen elken bezitter of houder der zaak kan worden uitgeoefend, onverschillig hoedanig die bezitter of houder aan de zaak gekomen zij.*

Contra hoc systema videantur ea, quae adsunt in secunda dissertationis parte, ubi demonstrari conati sumus privilegium locatoris jus in re non esse.

*Dat vermits de aard van dit regt zoodanig was onder het Romeinsche regt, het oude Fransche regt, den Code Nap. en het Oud Hollandsch regt (ofschoon daar meer beperkt), het er voor gehouden mag worden, dat de Nederlandsche wetgever daarvan niet heeft willen afwijken.*

Pugnat cum legis placito, quod jubet judicem secundum legem scriptam jus dicere.

Historicum nimirum studium non eo valere potest, ut contra, imo praeter jus positivum efficaciam habeat.

*Dat de ged. dan ook ten onregte eene beperking*



*van dit regt meent te vinden in de zinsnede van art. 1188 B. W., waarbij gezegd wordt, dat de verhuurder zijn voorregt op de vervoerde goederen behoudt, al waren die dan ook aan eenen derde door inpandgeving of op eene andere wijze verbonden, daar, blijkens de geschiedenis der daarstelling van het art. die woorden welke aanvankelijk niet in het ontwerp voorkwamen, er niet zijn bijgevoegd om de strekking van het voorafgaande te beperken, maar integendeel om die uit te breiden.*

Conferantur ea, quae diximus in prima parte.

Cum tamen admittimus locatorem in vecta et illata apud tertium detentorem posse persequi, eo simul negamus bonae fidei emtori jus pretii exigendi, ei in art. 637 C. C. concessum.

Hic enim hoc legis placitum non applicari potest, licet lex non distinguat, quia casus de quo hoc articulo dicitur, differt ab eo, de quo hic sermo est.

Admissa facultate locatoris privilegii objecta erga tertium persequendi, eo adimitur tertio facultas pretium exigendi.

Hoc enim ei tantum licet erga dominum. Locator non est dominus.

Hoc enim ei tantum licet in casu furti vel perditionis. Hic non adest furtum, nemo enim suum furatur.

Neque hic adest perditio, quod minime domino nesciente, bona ex aedibus exiere.

In hoc casu, nulla quaestio de dominio, sed de mobilium natura, nimirum invectorum et illatorum, versatur et tantum sermo est de lite inter privilegium (quod, ut vidimus jure positivo, jus in re vel pars domini non constituit) et bonae fidei emtorem.

In art. 637 C. C. vero pugna finitur inter dominum et bonae fidei emtorem per legis specialis placitum.

Judicavit tamen Tribunal Lugd. Bat. hoc non sic se habere. Nobis rationes visae sunt verbotenus hic narrandae:

*Overwegende ten aanzien der subsidiaire conclusie van den ged. dat, bijaldien het bewijs door hem zal geleverd zijn, hetwelk hij aanbiedt, dat hij het bedoelde vee op de markt te Gouda heeft gekocht, de vordering tot teruggave van den door hem besteedden koopprijs, hem behoort te worden toegewezen;*

*O. toch, dat dit regt van terugvordering van den betaalden koopprijs aan zoodanigen kooper toekomt, zelfs jegens den eigenaar van het goed en alsoo tegen dengeen die een veel uitgebreider en krachtiger zakelijk regt heeft dan de verhuurder, en dat de toestand van dengeen die van eenige zekerheid beroofd is, voor eene schuldvordering, die hij welligt op eene andere wijze bij magt is te verhalen, niet zoo gunstig kan worden aangemerkt, als die van hem, aan wien door diefstal het zijne is ontnomen.*

Causarum patronus ipse, qui per hoc iudicium causam suam fere vixisse dici poterat, in Diario Juridico

*Themis*, P. IX, p. 28, hanc rationem explicandi contendit esse falsam.

Iis quae de hac re dixi, addo ea quae loco citato inveniuntur, quibus patebit talem legis explicationem pugnare cum art. *Algem. Bepal.* 11 et 3, praesertim in casibus qualis hic adest, ubi aequitas ab utraque parte pariter adest. Locator enim damnum omnino sentire videtur ex hac ablatione sed non minus bonae fidei emtor frustratur per privilegii exercitationem. Igitur aequitas non potest ad decisionem ferre, siquidem lex taceret, sed etiam hoc non fit.

*O. dat de reden, welke aan de bepaling van art. 637 B. W. ten grondslag ligt, is de bevordering van de zekerheid van het handelsverkeer, en die grond ook in het onderhavig geval bestaat, zoodat het regt door den ged. gevorderd, aan hem, bij analogiesche uitbreiding van art. 637 B. W. moet worden toegekend en dit te eerder kan geschieden, daar het regt der eischers is van eenen zeer exceptioneelen aard, als niet slechts berustende op een privilegie, maar ook afwijkend van den regel, dat roerend goed geen gevolg heeft.*

Juris regula mobilia non sequelam habere cum in jure nostro non scriptum sit verbis expressis, in explicatione contra juris placitum efficaciam habere non potest. Nemo profecto contendit regulam in mobilibus possessionem pro titulo valere idem significare ac regulam

citatam. Hujus regulae efficacia pugnaret cum lege, quia cum semel admittimus invecta et illata posse repeti ab emtore bonae fidei, vidimus *exceptionaliter* (ut dicit iudicium) legem hic statuisse, et sic explicandi regulam *specialibus generalia derogari* adhibendam esse.

*O. dat ware het anders, hij die eene zaak van den wettigen eigenaar had gekocht, van slechter conditie zoude zijn, dan hij, die van den dief de zaak gekocht had, hetgeen eene ongerijmdheid is, die de wetgever niet kan gewild hebben.*

Profecto verum omnino est, legem non fingere absurda et quo ad hoc attinet cum iudicio facimus.

Sed minime persuasum nobis est, aliud quam iudicii systema absurdum statuere. Minime enim contra sanam rationem est, ut locator exerceat retineatque privilegium in invecta et illata, quamquam alter (bonae fidei emtor) a conductore deceptus sit. Duorum unus debet damnum pati, et non est absurdum eum damnum pati, qui postremo loco contraxerit, in iis, de quibus proprie contrahi non amplius poterat, imo quae secundum sententiam iudicii ipsius, ad locatorem suo jure (jure in re,) certo sensu pertinebant. Haec vero dicimus potius ut dictae sententiae argumenta refellamus, quam ut nostram sententiam confirmemus. Nam universam hanc explicationem ex aequitate et convenientia in hoc materie non magni facimus. —

---

---

## T H E S E S.

---

### I.

Quando sub vigore Cod. Napol. contractus antenuptialis factus est, quo conjugi data est ea pars hereditatis, quae portionem legitimam jure Francico definitam non laesit, tamen contractus vim habere non potest, cum, matrimonio soluto sub nostri Codicis vigore, legitima portio secundum eum codicem salva non mansit.

### II.

Maritus uxori auctoritatem potest praestare, quamquam foro cesserit, cum de suo non disponat.

### III.

Privilegium jure nostro universe non constituit jus in re; habet tamen subinde per legem efficacitatem eam quae efficiat ut juri in re proxime accedat.

IV.

Bonae fidei emtor petenti locatori reddit objecta ejus privilegii, tempore utili ab illo vindicata.

V.

Usufructuarius, objectorum usufructus possessor dici non potest.

VI.

Tutor, qui ad secundas nuptias transit, et art. 407 C. C. non satisfacit, quia nullus in ea tutela adest tutor subrogatus sive honorarius, ipso jure tutelam amittit.

VII.

Cum in testamento heres vel legatarius institutus, testatori praedefunctus est, repraesentatio locum non habet, nisi testamento sancita sit.

VIII.

Cum curator decoctoris de erogatis a se expensis, sibi non potest satisfacere ex bonis creditoris qui foro cessit, non habet jus ea repetendi ab illo, qui decoctionis sententiam a iudice impetravit.

IX.

Creditor hypothecarius totam inscriptionis summam jure potest petere, quamquam bona debitoris, qui foro cessit,

tam parvi pretii sint, ut curator ex iis impensas sibi non possit restituere.

X.

Cum quis emit, et nondum venditori solvit, postea venditor denuo fit debitor emtoris, emtor ille, qui acceptavit in hoc intervallo in eum a venditore trassatas litteras cambiales, compensationem objicere non potest; cum vero nondum acceptavit, etiam contra tertium haec compensatio ei tribuenda videtur.

XI.

Cum is qui rem immobilem vendendam mandavit, eam ipse vendidit, emptio venditio per mandatarium postea facta nulla est, quamquam hic priorem venditionem ignoravit; ipse tamen damnum frustrato emptori resarcire non cogitur.

XII.

Si post acceptationem litterarum cambialium, aucta est quae iis continetur pecuniae quantitas, acceptans non tenetur ad totius summae solutionem; si vero mutatio facta est ante acceptationem, ad solutionem tenetur.

XIII.

Trassatus qui acceptat simpliciter litteras cambiales, sed postea, antequam eas praesentanti restituat, addit tantum in certam quantitatis litterarum cambialium partem acceptationem valituram, nihilominus ad totam solutionem tenetur

erga praesentantem, qui probat hunc trassatum antea simpliciter acceptavisse.

XIV.

Valet legatum a minori, annis tamen XVIII majori, in favorem ejus factum, qui postea, sed stante minorennitate, cum matre ad secundas nuptias convolat.

XV.

Credentialia electorum membrorum novi consilii communitatis, inquirenda sunt a veteri consilio, secundum legem d. 5 Julii 1851.

XVI.

Non omnino improbanda videtur institutio auscultatorum sive referendariorum judicialium, quam in usum inducere in patria legislatores gestiunt. Est enim futuro judici imprimis utile, si alios judicantes saepius audiverit, et ferendae sententiae saepe particeps fuerit.

XVII.

Probanda videtur duplex gradus jurisdictionis — salva cassatione — in criminum persecutione.

XVIII.

Qui *gaz* distrahit, furtum committere negari non potest.



XIX.

Qui per litteras cambiales in se invicem trassatas, et a tertio per anticipationem solutas (*gedisconteeerd*), pecuniam creant, quamquam tertius inde damnum sentiat, non tamen committere illud delictum videntur, quod in Cod. Poen. *escroquerie*, *opligting*, appellatur.

XX.

Actiones mixtae, jure Romano, ex veriori sententia, non aderant.